

Le texte proposé ici a été établi à partir de l'édition de 1577,
imprimée à Paris, chez Mamert Patisson.

CARMINVM IANI ANTONII BAIFII LIBER I.

AD HENRICVM III. GALLIARVM ET POLONIAE REGEM CHRISTIANIIS.

C_1 v.1 Henrice, cujus liberali gratia
 2 vacare nos Musis datur,
 3 per quem quieti non quieto saeculo
 4 id otii decerpimus.
 5 Quo te benignum dum deum facto facis,
 6 nobis colendus ut deus.
 7 Immensa cura sed subit ne non eant
 8 condigna quae dicabimus.
 9 At lacte divis rusticique supplicant,
 10 gentesque salsa plurimae
 11 mola, quibus non tura praesto sunt, litant.
 12 Nec esse debet crimini
 13 Numen deorum quomodocumque id queant,
 14 donare cultu debito.
 15 Tu praestitisti quod tibi haec sacravimus,
 16 benignitate dum tua,
 17 tuaque nos dum comitate pellicis
 18 ad te colendum audacius.
 19 Quaecumque in hoc est culpa nostra, in hac tibi
 20 Aequum est teipsum ignoscere.
 21 Non hoc laboris, qui levissimus fuit,
 22 ausi sumus fiducia.
 23 Henrice, partem id quicquid est cape in bonam,
 24 ut spem reportem hanc optimam ;
 25 dicata templis quaeque vel vilissima,
 26 quod aestimentur maximi.

- C_2 v.1 O duro miseroque nate saeclo
 2 ingratoque rudique et infaceto,
 3 prodi parve Liber, tribus relictis
 4 domi fratribus in sinu parentis ;
 5 audax pro quibus inde sorte missus
 6 hoc solus dubium facis periculum.
 7 Si te Pieridum (quod opto !) alumni
 8 rarique et celebres viri probarint,
 9 vulgo ne studeas placere multum :
 10 sat doctis placuisse magna laus est.
 11 At lucem tolerare si valebis,
 12 fratres postmodo te (tuo periculo
 13 certi ferre diem) sequantur omnes.
 14 Sin, in perpetuas eant tenebras.
- C_3 v.1 Qui nostra credunt nostra, consulant boni ;
 2 qui furta nostra nesciunt, non me indico.
 3 Qui nostra nostis furta, lectores, licet
 4 uti fruique. Furti agant quorum interest.
- C_4 v.1 Opem negare ferre cum licet, nefas.
 2 Bonos juvare qui potest nec juverit,
 3 is sponte vivit in bonos injurius.
 4 Hanc tu, Cheverni, qui malam vitas notam,
 5 vives beatus, nec cades inglorius.
- C_5 v.1 Ultro miser, spe quid te animi anxium
 2 lactas inani, caecaque nubium
 3 vano petis pergens volatu
 4 montis ad aetherium cacumen ?
 5 Delusus addis somnia somniis ;
 6 magnas opum vi divitias nova
 7 fingis beatus : possidere
 8 sors homini sua denegavit.
 9 Quin dona quae dat Pieris arripis,
 10 quae fixa certo pectore permanent ?
 11 At fluxa mentis spectra falsae
 12 vulgus eant capere imperitum.
 13 Damno sinistrae divitiae cadunt
 14 non mente sanis. Vana superbia
 15 luxu, metuve usus refingit
 16 mox alios aliosque mores.
 17 Quaerentis aegris corda laboribus
 18 nondum paratae conficiunt opes,
 19 quaesita torquent mille curis,
 20 post dominis periisse maeror.
 21 Quaecumque fudi crinibus unguina,

22 quodcumque florum temporibus dedi,
 23 evanidos efflavit omnes
 24 aerium per inane odores.
 25 Quae transierunt septaque dentium
 26 gulaeque fauces hausta voragini
 27 ventris sub ingratos recessus,
 28 vina, cibi, tulit ut voluptas,
 29 servavit horum crastina nil dies.
 30 At quae per aures pectore condidi
 31 praecepta vitae docta verae,
 32 perpetuum penitusque sidunt.

C_6 v.1 Ecce graves deorum
 2 exuviis Amores,
 3 qui spoliata caeli
 4 templa leves relinquunt.
 5 Ille Jovis potentis
 6 fulmen habet trisulcum ;
 7 iste dei regentis
 8 aequora fert tridentem ;
 9 principis inferorum
 10 fuscina cessit uni ;
 11 alter habet cruenti
 12 Martis et ensem et hastam
 13 et galeam comantem.
 14 Hic pharetramque et arcus
 15 gestitat arma Phoebi.
 16 Herculis ille clavam,
 17 cum spolio leonis.
 18 Hi rabidi Lyaei
 19 tympana habentque thyrsus,
 20 Mercuriique virgam
 21 alite cum galero
 22 alitibusque soccis ;
 23 hi quatiunt Dianae
 24 lampada noctilucae.
 25 Nos homines miselli
 26 quid faceremus, audent
 27 cum genus in deorum
 28 talia facta Amores ?
 29 Vincite vos Amores :
 30 vincere dii tulerunt,
 31 nos homines feramus.

ODE.

C_7 v.1 Vela cum navis, liquidum per aequor
 2 panderet primum, Zephyri aura lenis
 3 mite crispabat mare. Tunc sereno
 4 sidera caelo
 5 clara fulgebant ; tremulos carina
 6 Doridos campos agitante vento
 7 laeta sulcabat, trepidisque nautis

8 spes bona risit.
 9 Dira sed cursu medio procella
 10 incubat stridens ; et utrumque nudans,
 11 heu, latus remis, rapuitque malum
 12 velaque fregit.
 13 Eruitque undas penitus revulsas,
 14 nubibusque atrum subito coactis
 15 aera obducit. Elice negabat
 16 lumen amicum.
 17 Et nisi Nereus timida audiisset
 18 vota, Neptunusque tridente lignum
 19 appulisset litori, erat bonae spes
 20 nulla salutis.
 21 Nunc vocat rursum notus ; ille portum
 22 spondet adspirans : "Tibi sed misella o
 23 navis edico scopulos, quibus mox
 24 fata perire
 25 te jubent ; si credula te dare aurae
 26 ausa fallaci repetis profundum,
 27 heu male afflictæ scopulis videbo il-
 28 -ludere mergos.

C_8 v.1 Cum desiderio furens inani,
 2 quo mens me mea ducit et reducit,
 3 aegro tento pedem movere passu,
 4 optarem hos oculos meos relinquere
 5 aeternum hic ubi sunt mei illi amores.
 6 Heic ridere procul videtur aer
 7 caelo nubibus undiquaque puro ;
 8 hic laetis trepidare flumina undis ;
 9 hic arbos viridem induisse frondem,
 10 vernis floribus hic scatere tellus.
 11 O tellus et amoena, et o beata
 12 tellus heu nimio meo dolore,
 13 cui suspiria corde tot trahuntur,
 14 tot cui lacrimulae cadunt ocellis.
 15 Quando sors mea dura, dura semper
 16 me premens, alio vocat retractum,
 17 quo tristis peream ; diesque et horas
 18 et menses numerem male imputatos,
 19 tempus exilii querens acerbum ;
 20 illi cui miseri perimus ultro,
 21 nostram vos cito nuntiate mortem,
 22 venti, quos feriunt meae querelae.

C_9 v.1 Omnibus es dives, mihi pauper. Sic probat usus
 2 ipse rei, verus testis Apollophanes.
 3 Si quod habes, utare, tuum est. Sin tu bona servas
 4 haeredi, alterius jam bona, non tua sunt.

- C_10 v.1 Latroni putrem prope murum forte cubanti,
 2 in somnis Serapin nocte repente ferunt
 3 talia dicentem monuisse : "Heus tu fuge, surge.
 4 Mox alia recubans sede quiesce, miser."
 5 Excitus somno fugit, vacuumque ruinam
 6 murus collabens ille repente dedit.
 7 Proque sua divis sceleratus sacra salute
 8 mane parans, carum se putat esse deo.
 9 Sed Serapis rursus visus de nocte profatur :
 10 "Tu me de impuris sollicitum esse putas.
 11 Nunc etsi facilem vetui te occumbere mortem,
 12 crede reservatus non minus esse cruci."
- C_11 v.1 Gratae profunda noctis o silentia,
 2 per quae quieta mens volutat cogitans
 3 quo, vel perenne nomen eruam meum
 4 oblivionis e nigra voragine ;
 5 vel spirem eamque vivus ora per virum
 6 morti superstes. Noctis, o silentia
 7 gratae profunda, quam juvat me nunc procul
 8 ab imperito semitam vulgo sequi
 9 non otioso perfruentem hoc otio !
 10 Et tristis atram noctis umbram vincere
 11 laeta novaque luce, quam paravimus
 12 labore multo non levi socordia.
 13 Forsan volaro sidera evectus super
 14 iis fultus alis, quas mihi spes ardua
 15 humum perosis adligarit brachiis,
 16 dum capto veram non inanem gloriam :
 17 pro qua laborans haud favente saeculo,
 18 sudavi et alsii. Judicabunt posterii.
- C_12 v.1 Qui fit, improbe Amor, geluque et ignis
 2 ut nostro simul ambo corde perstent,
 3 neque ardor glaciem liquet rigentem,
 4 sed nec frigore temperetur aestus ?
 5 Heu, cordi nimium graves dolores,
 6 pugnantes variis modisque miris,
 7 dum neuter superatve vel remittit,
 8 ambo lite sed asperantur aucti.
 9 Pectoris domine o mei severe,
 10 in me utare licet vel hoc vel illo ;
 11 nostra viscera vel gela vel ure.
 12 Si mori datur, haud mori recuso.
 13 Sed nec spero alium modum furori,
 14 et dum pectore pugna fervet aequa,
 15 non venena hominem duo necabunt.
- C_13 v.1 Optima res laudare, mala est culpae, quod infert
 2 jurgia. Mel tamen est dicere posse male.

C_14 v.1 Qui numeras nummos, perdes ; tristemque senectam
 2 tempus ut usuram dum fluit adjiciet.
 3 Post, ubi nec bona tu gustaris vina, nec unguen
 4 fragrans, nec flores tu dederis capiti,
 5 non ullum audieris carmen quo laetior ires,
 6 ut misere vixti sic moriere miser.

C_15 v.1 O hominum atque divum
 2 Jupiter imperator,
 3 qui moderaris unus
 4 omnia, solus auctus
 5 eximioque cultu
 6 eximioque honore,
 7 nosti hominumque mentem,
 8 qualis et est libido.
 9 Summa tua est potestas.
 10 Quid tamen hoc negoti est ?
 11 Tune tenes eadem
 12 sorte, parique honore
 13 quemque malum bonumve ?
 14 Sive aliquis modestum
 15 se gerat et benignum,
 16 sive nocens scelesto,
 17 prava animo sequatur,
 18 nulla via est tenenda
 19 recta homini a deorum
 20 numine fixa vere ;
 21 qua sciat ipse certo
 22 posse deis placere.
 23 Qui scelerata patrant
 24 divitias sine ullo
 25 cerne tenere damno.
 26 Qui scelus odit omne,
 27 cui sacra jura cordi,
 28 pauperie gravatur ;
 29 per quam inopes egeni
 30 sollicitantur usque
 31 in scelus omne labi.
 32 Pectora saepe forti
 33 laesa necessitate
 34 exanimata cedunt.
 35 Ferre quis ipse nolens,
 36 multa pudenda jussus
 37 audet, uti suasit
 38 pessima rerum egestas.
 39 Quae mala rerum egenos
 40 multa docet novare,
 41 falsa loqui, dolosque
 42 furtaque fabricare,
 43 mortiferasque rixas.
 44 Mens licet ipsa nolit,

45 fasque nefasque miscet
 46 dura et inops egestas :
 47 qua moderante sortem
 48 vir probus atque nequam
 49 esse pares videntur.
 50 Huic mala mens, nec umquam
 51 recta vel aequa sentit.
 52 Ille sapit quod aequum est,
 53 nec minus impotenter
 54 mutus inersque marcet.
 55 Ne properanter ullam
 56 rem facias. Sed apta
 57 tempora quaeque captes.
 58 Praecipitata virtus
 59 noxia lucra saepe
 60 sorte mala secuta est.
 61 Quippe bona haec videntur
 62 quae nocitura quaerit.
 63 Utile quod futurum est
 64 id timet esse damno.
 65 Sed reverere amicos
 66 perfidiamque vites,
 67 numina nec potentum
 68 defice magna divum.

C_16 v.1 Publica non Venus est : caelestem nomine dicens
 2 tu venerare deam. Chrysogona hanc posuit
 3 Amphicleis domui. Quo cum communia habenti
 4 cuncta, (larem, vitam, pignora) res bene fit,
 5 auspice te semper cunctos, dea casta, per annos.
 6 Plura feret quisquis numina rite colet.

C_17 v.1 Licet viator hoc sepulcrum parvulum
 2 solo sit aequum, nec tumente se aggere
 3 attollat alte ; saxulum cum videris
 4 hoc non inane, ne tamen culpaveris,
 5 quae tale jussit erigi, Philaenida.
 6 Nam cantionis stridulae sciam alitem
 7 caram cicadam, spinicultricem prius,
 8 amasse dicit ipsa longo tempore
 9 binos per annos. Meque tandem mortuam
 10 curasse poni, desii cum vivere
 11 cantareque una carmen ipsi blandulum,
 12 quod conciebat nocte molles somnulos.
 13 Nec post reliquit cassam honore ; sed dolens,
 14 amplo sepulcro sorte pro mea satis
 15 donans, amoris marmor inscribit memor.
 16 Altrix alumnae de suo suavissimae
 17 donat Philaenis hoc Cicadae stridulae
 18 argutulae dum vixit. At nunc, heu, silet :
 19 quin sempiternis obstrepat silentiis.

- C_18 v.1 Vino fertur adesse comes bona veritas.
 2 Veraces quoque nunc potos decet esse nos.
 3 Promam pectore quae mihi condita in intimo.
 4 Toto corde me amare fugis ; fugis, hoc scio.
 5 Vitae dimidium mihi vix remanet meae ;
 6 forma dimidiumque tua perit alterum.
 7 At quandoque voles ago caelitibus pares
 8 soles. Nolueris, tenebris tegor horridis.
 9 Haud par est miserae sorti dare qui te amat.
 10 Quae dicam senior vis credere junior ?
 11 Laudaris, melius tibi cum omnia cesserint.
 12 Una fac stabilem tibi in arbore nidulum,
 13 quo serpens ferus haud queat ullus adingredi.
 14 At fallax hodie nova in arbore tu sedes ;
 15 quaeres cras aliam, ex aliis alias petens.
 16 Et laudanda quidem tua forma sit omnibus,
 17 dum non danda tamen tua forma eat omnibus.
 18 Toto te unus amaverat usque triennio
 19 olim primus : erit procul is tibi tertius.
 20 At spirare puella videre superbias,
 21 studens perfida credula magniloquis viris.
 22 Ut vivas bene, semper ama similem tui.
 23 Res est pulchra pares paribus bene jungier.
 24 Tu cum sic facies, bene ab omnibus audies :
 25 nunquam talis amor tibi post male cesserit,
 26 non infensus amor tibi post erit aut gravis.
 27 Quamvis ut libuit domat ipse animos virum,
 28 qui me emolliit. At fueram modo ferreus.
 29 Ori sed tenero tibi totus inhaereo.
- C_19 v.1 Aegre Juno ferens pueri Ganymedis honores
 2 zelotypo dixit corda furore tumens.
 3 Troja Jovi peperit incendia mascula. At ipse
 4 non Trojae flammas scit genuisse suae.
 5 Quam faxo ipse Paris patrias incendia in aedes
 6 inserat, Ilion ut concidat igne cinis.
 7 Nec jam ad Trojanos aquila : at tunc aethere multus
 8 vultur ad obscaenas ibit eritque dapes.
 9 Cum Danai dantes victrici Pergama flammae,
 10 parta decennali praemia Marte ferent.
- C_20 v.1 Hic sileant densumque nemus, saxoque fluentes
 2 fontes, balantis mixtaque vox pecoris.
 3 Quandoquidem Pan montivagus inflare cicutam
 4 gaudet junctilibus labra terens calamis ;
 5 et teneris circum pedibus statuere choreas
 6 et dryas et nais. Vel Philomela tace.
- C_21 v.1 Annion et Bitto Veneris jam ferre recusant
 2 leges ; jamque novam militiam subeunt.

3 O domina alma Venus, haud bellis moribus usas
4 paeniteat. Tua mox sub juga fac redeant.

C_22 v.1 Odi Cupidinem, odi.
2 Cur non feras sagittis
3 it jam suis petitum ?
4 Quid corde semper uno
5 tela in meo refigit ?
6 Quae gloria est potenti
7 deo me homuncionem
8 ussisse et enecasse ?
9 Victoria illa magna est
10 uni mihi volenti
11 victum caput superba
12 pressisse teque planta,
13 et verticem superbum
14 de te ferocientis
15 pati meae puellae ?
16 Te, te improbe, o Cupido,
17 odi tuasque flammis.
18 Odi Cupidinem, odi.

C_23 v.1 Ruricolae Pani pariter, patrique Lyaeo
2 et nymphis Arcas dona Biton dedit haec.
3 Pani senex teneram pasta cum matre capellam
4 ludentem, Bromio sarta resecta hederæ,
5 nymphis fructifera varios ex arbore flores,
6 et folia expansae sanguine tincta rosae.
7 Pro quibus hanc augete domum, Pan lacte perenni,
8 Bacche uva, nymphae flumine Naiades.

C_24 v.1 Arguti culices vagi
2 voce qui strepera melos
3 dum stridens canitis, sono
4 susurratis acuto.
5 Humanum sceleratuli
6 adhaerente proboscide
7 sueti sugere sanguinem et
8 somnos rumpere dulces.
9 Vos Melanthidi lassulae
10 pauxillum date somnuli,
11 et permittite molliter
12 fessos claudere ocellos.
13 Artus carnivori meos
14 vos incessite. Nam licet.
15 Meum sugite sanguinem.
16 Ecce me. Ruite in me.
17 Quid ? Vos leniter alloqui
18 immanes rigidas feras
19 placari mihi nescias,

20 duras nectere mentem ?
 21 Vos juvat nimis improbos
 22 molles delicias pati ;
 23 succo vos avidos juvat
 24 exhaurire Melanthin,
 25 importuna molesta gens
 26 tenellamque puellulae
 27 non missura cutem nisi
 28 suavis plena cruoris.
 29 Nunc jam vos monitos volo
 30 molestum culices pecus.
 31 Audaci petulantiae
 32 vestrae ponite finem.
 33 Ni desistitis improbi
 34 sentietis amantium
 35 quid possit manus aemulo
 36 irritata dolore.

C_25 v.1 Dirus amor ! Dirus ! Sed quid juvat haec mala verba
 2 fando iterum atque iterum, dicere "Dirus amor" !
 3 Verba puer ridet : convicia crebra libenter
 4 audit, et his probris pascitur ille suis.
 5 Sed multum miror. Quo pacto, o Mater amoris,
 6 hunc ignem enixa es tu Venus orta mari ?

C_26 v.1 Artifex mellis, studiosa florum,
 2 cur meam circum volitas Melanthin ?
 3 Quid cutem sugis teneram puellae ?
 4 Prata relinquis ?
 5 Num tibi flos ipse Melanthis esse ?
 6 Anne flos forma, potius merum ver ?
 7 Num Melanthis floridior videtur
 8 floribus ipsis ?
 9 Innuis curas Veneris jocosae
 10 cordibus spinas, et amara amoris,
 11 melle contactas dubio sagittas
 12 in mea damna.
 13 Mella apis fingitque eademque pungit.
 14 Melleus totus facilis Cupido :
 15 cuspides fallax acuit cruentas
 16 cote severa.
 17 Certe id est quod nos monitos volebas,
 18 idque jampridem sine te miselli
 19 vivimus passi. Procul hinc facessas
 20 ad tua mella.

C_27 v.1 Dum puer immiti torquetur amore puellae,
 2 laudandae forma, nisi mens moresque repugnent,
 3 ipsa animo nil lene ferens exodit amantem.
 4 Nec scit quid sit amor, quod numen, quos gerit arcus

5 in manibus, nec quae jaculatur amara puellis
6 tela. Sed accessuque affatuque undique durae
7 nulla dabat flammae lenimina. Non leve summo
8 dignum aliquod labro, suavis non lumen ocelli.
9 Non roseaeve genae fusum per mala ruborem.
10 Non verbumve aut basiolum solamen amoris.
11 Sed venatori fera ceu diffidit, amantem
12 sic fugit illa, ferae similis. Jam decolor aret
13 os puero, tabent oculi, dolor improbus urget.
14 Bile mala facies mutatur, et aufugit ore
15 indignante color. Magis ac magis ardor amantem
16 irritat. Minus illa minus respondet amori.
17 Non oblitus amans lacrimarum quas Venus addit
18 ultima, postremum tristes lacrimatus ad aedes,
19 ore premit limen. Sic fudit voce querelas :
20 "O fera cruda puella, ferocis alumna leaenae,
21 saxea, quam fugit omnis amor. Haec munera veni
22 ultimaferre tibi, laqueum mihi. Non ego posthac
23 dura molestus ero. Sed deploratus abibo
24 quo me damnasti ; qua dicunt quaerere amantes
25 ignis opern, qua se stagnans oblivio fundit.
26 Sed licet admotis epota oblivio labris
27 sit mihi tota, meum non sic exstinguat amorem.
28 Jamque valere tuis dico aedibus. Ipse futuri
29 praescius haec moneo. Tu post ventura memento.
30 Et rosa formosa est, et tempus conficit illam.
31 Vere etiam viola est formosa, citoque senescit.
32 Candida lilia sunt, et candor concidit illis.
33 Candida nix etiam est, mox liquitur ; haud redit ultra.
34 Forma etiam formosa tua est, sed forma caduca est.
35 Adveniet tempus cum tu quoque amore peribis.
36 Aestus erit cordi, falsuque ad lumina fletus.
37 Hoc mihi sed gratum postremum tu face munus.
38 Tu quando exhibis, pendentem me adspice vestris
39 pro foribus. Neu me miseranda morte peremptum
40 praetereas. Sed siste pedem. Lacrimare parumper.
41 Libata lacrima, laqueo me exsolve. Tuisque
42 artibus exuta vesti tu me occule, libans
43 oscula postrema haec. Mihi tu vel lumine functo
44 labra tua haec dones. Nec te metus arceat ullus.
45 Vivere non possum non si redamaris amantem.
46 Discribes tumulo. Tibi versu verba notavi.
47 "Hunc amor occidit. Properans ne temne viator.
48 Fare moram donans : duram dilexit amicam."
49 Sic fatus muro saxumque advolvit, et ingens
50 oblongum erexit media inter limina fixum.
51 Funiculumque ligans laqueum cervicibus aptat
52 provolvit saxum pedibus, pallensque pependit
53 mortuus. Illa fores aperit viditque cadaver
54 adpensum foribus. Nec eo commota dolore
55 mensfuit ; haud illi lacrimae fluxere, sed omnes
56 polluit ad corpus vestes pendentis amici.
57 Inde puellaresque choros et balnea curat,
58 adque Deum accedit quem laeserat. Ille columna
59 marmoreus stabat balinei fixus in alta,
60 nudus amor pharetraque humeros insignis et arcu.

61 Exsilit, exsiliensque Deus letumque puellae
 62 dat meritum, miserum miserae, cogitque fateri.
 63 Occidit illa exosa omnes. Gaudetis amantes.
 64 Ultor amor deus est. Discant redamare puellae.

C_28 v.1 Quando Luciolae in sinum
 2 seu claro venio die
 3 seu noctu sine lumine
 4 omnes abjiciens metus,
 5 ut fert forte voluptas,
 6 abrupta in loca me scio
 7 ultro praecipitem dari ;
 8 omnemque in caput aleam
 9 jactari scio tunc meum.
 10 Quid tum si scio ? Quid tum ?
 11 Nullus me timor occupat.
 12 Est audax amor, et facit
 13 audaces amor usque, sed
 14 nescit incipiens amor
 15 metus ferre vel umbram.

C_29 v.1 Ebibito madidus vino prius, heus bone dormis.
 2 Hunc somnum siccus non minus ipse trahes.

C_30 v.1 Collocata quae loco sunt in suo quaeque ordine,
 2 illa mixta est facile cuivis pessimo pervertere.
 3 Mota sed turbataque extra vel locum vel ordinem,
 4 haud item vel optimo sit facile cuivis ponere
 5 sic ut ordini et loco sint restituta pristinis.
 6 Calce vulgus imperitum, frena dans ori, preme,
 7 caede, punge. Non ferendum das fero collo jugum.
 8 Non amantem servitutis amplius plebem domes :
 9 omnis illa juris exsors excutit jugum ferox.
 10 Civitas haec nostra molli civium socordia
 11 ut vadis illisa navis naufraga it pessum dari.
 12 Jupiter perdat scelestum qui volet sermonibus
 13 perfidis fidentem amicum blandiendo decipi.
 14 Antea noram ; sed istud esse verum comperi,
 15 improbis nullam esse prorsus in scelestis gratiam.
 16 Nunc amicorum meorum si quis aegrum me audiat,
 17 mox reflectens colla retro non volet me cernere.
 18 Cum boni quid accidit, ceu sors tulit mutabilis,
 19 tunc salutor, tunc amici confluunt ad me undique.
 20 Plurimis opes deus dat pessimisque inutiles,
 21 qui nec ipsi se, nec ullos his amicos juverint.
 22 Splendidum virtutis almae lumen haud unquam perit.
 23 In meum caput merentis fornices ahenei
 24 corruant caeli superne, Gentis antiquae pavor :
 25 ni fidelis atque certus vere amicum juvero,
 26 maximum damnum daturus siquis ultro me oderit.
 27 Gratia me nemo possit vincere aut injuria.

- C_31 v.1 Juro tuos oculos mea lumina, "Non miser ultra
2 desertos possum ferre ego secubitus".
3 Perpetuas lacrimas fundam ? Suspiria corde
4 longa traham ? Lenta tabe uti conficiam ?
5 Cras patriam liber repetamque, tuumque perosus
6 despuam in os. Multum o jussa valere, vale.
- C_32 v.1 Urbs, nomen, dictum Sapientum carmine septem
2 hic uno dabitur. Memorent juvenesque senesque.
3 Optima mensura est, Cleobulus Lindius inquit.
4 Chilon, praemonuit Lacedaemone, "nosce teipsum".
5 Ast, irae moderare, Corinthiaci Periandri est.
6 "Nil nimis", edixit Mitylenae Pittacus olim.
7 Cerne, Solon, obitum vitae, praecepit Athenis.
8 Plures esse malos, Bias edidit urbe Prienes.
9 Ad sponsum prope noxa, Thales Milesius auctor.
- C_33 v.1 Me dono rapuit serti lasciva Melaenis.
2 Sum suus, utque igni cera, liquesco miser.
3 Nigrrior est : quid tum ? Carbones sunt quoque nigri.
4 Sed flamma tacti, ceu rosa verna, rubent.
- C_34 v.1 Cum tuus autumnus ver alterius superarit,
2 aestate alterius caldior ibit hiems.
- C_35 v.1 Lais ubi formam sensit jam tempore laedi,
2 rugarum exosa est indicium veterum.
3 Tunc quod damna solet speculum accusare senectae,
4 aeterni dominae dedicat id decoris.
5 Accipe formosae socium Cythereia juventae ;
6 nam tua non ullo tempore forma perit.
- C_36 v.1 Moeris aratorem sulco senioque caducum
2 jure bovem ferri vindicat exitio
3 mactandum memor. Emeritus bos liber aratri
4 herbida mugitu pascua nunc hilarat.
- C_37 v.1 Argivus Polycleitus in hac Junone, quod ipse
2 viderat in vera solus eam intuitus,
3 quodque oculis vidisse datum mortalibus, illud
4 expressum id totum monstrat in hac tabula.
5 At quamcumque sinum subter stola missa negavit,

6 forma, reservatur nuda videnda Jovi.

C_38 v.1 Quisquis amas, mentem ne tam demitte labantem
 2 ut fundas humiles tu, miserasque preces.
 3 Corde sed obdura, monstres ut fronte severum
 4 vultum. Sed tetricum pone supercilium.
 5 Femina vix umquam poterit redamare superbos ;
 6 at ridet quorum sors miseranda jacet.
 7 Optimus ille in amore modus : Qui temperat aequis
 8 fastumque et molles imperiis animos.

C_39 v.1 Immites roseae manus
 2 me vinclo miserum gravi,
 3 belli jure velut suum,
 4 addixistis amori.
 5 At mirum tenerae manus,
 6 qui vos queis nihil est magis
 7 dulce molle tenellulum
 8 lene floridulumve,
 9 mirum qui validae manus
 10 tam crudele nefas novum
 11 tamque atrox facinus novum
 12 vos in me potuistis.
 13 Quo cor pectore in intimo
 14 stupens attonitum salit.
 15 Hinc suspiria tot ruunt,
 16 hinc tot mente dolores.
 17 Hinc tot ex oculis mihi
 18 perfluunt lacrimae genas.
 19 Nec, vel si liceat, miser
 20 effugisse laborem.
 21 Crudelem audieram trucem
 22 laetum sanguine, fervidum
 23 Martem, a quo reputaveram
 24 certe multa timenda.
 25 Verum a candidula manu,
 26 a qua nunc domitus fleo,
 27 nunc captus pereo videns,
 28 nae nil tale timebam.

C_40 v.1 Sanant amorem temporis mora aut fames.
 2 Nisi hac vel illa languet ignis mortuus,
 3 potest amori sola mors afferre opem.

C_41 v.1 Binis in laqueis, hinc vinclo pinguis equino
 2 praeda fuit turdus, inde fuit merula.
 3 Moxque gulae turdi magis apti tarda sagina
 4 haesit, et in laqueo pingue pependit onus ;

5 at merula illaesus sacer aufugit. Ergo Camenis
6 parcere vel mutum vos monet aucupium.

C_42 v.1 Optimus ille quidem certe, optimus ille poeta est
2 qui bene cenatis carmina grata canit.
3 Sed qui jejunos dimiserit, audiet ille :
4 "At solum perdat te tuus iste furor !
5 Pessime, jejunos quem nunc (cruce digne Poeta)
6 jejunis juvit perdere carminibus.
7 At Dii te miserum faciant : parilique furoris
8 invadant rabie teque tuamque domum.

C_43 v.1 Me Bromii comitem satyrum manus exprimit arte,
2 qua sola lapidi spiritus inseritur.
3 Cum Nymphis habito ; qui quondam vina solebam
4 fundere, nunc gelidae fio minister aquae.
5 Sensim ferto gradum, somno ne sorte quieto
6 hic puer excitus, te petat arma movens.

C_44 v.1 Rerum est optimus utilis
2 mellis aetherius liquor,
3 qualem sponte sua favis
4 fingunt multiforis apes
5 nativoque labore.
6 Victus unde homini ad manum
7 ultro gratuitus venit.
8 Curva falce nec est opus,
9 ferreisve ligonibus
10 non bobus nec aratro.
11 Verum vilibus alveis,
12 sub queis nectareos apis
13 compingens loculos, dabit
14 larga de tenui casa
15 dulcia munera mellis.
16 Salvete aetherii alites,
17 sacra nectaris artifex
18 turma, vos variis leves
19 libandis legere aureum
20 rorem floribus ite.

C_45 v.1 Quid sonipes torrens, adeo te fluctibus inflas ?
2 Tene pedestris iter claudere posse viae ?
3 Ebrius is pluvia ; neque limpida flumina volvis
4 Nympharum, obscaena nubis adauctus aqua.
5 Te videam torrens exhaustum sole probante
6 utrum germanum flumen eritve nothum.

- C_46 v.1 Praesagus mihi saepius
 2 praedicens, animus monet.
 3 Ignes Luciolae fuge.
 4 Nescis, zelotypi immemor
 5 aestus atque furoris ?
 6 Oblitusne redis miser,
 7 ad tot quas lacrimas tui
 8 fuderunt oculi prius ?
 9 Ad suspiria fervidi
 10 cordis irrequieta ?
 11 Haec praedicit et haec monet
 12 sentiens animus bene ;
 13 sed vis deficit ad fugam,
 14 nec vitare malum queo,
 15 non gressum remove.
 16 Nam vel ipse animus meus
 17 damnum praevidet impotens,
 18 et praedicit et admonet :
 19 praedicens tamen et monens,
 20 impudens, amat ipse.
- C_47 v.1 Hoc vere hominis est idque factu non grave,
 2 monere factu quod opus est : Non item <quoque> (vers lacuneux)
 3 promptus facit quis, alteri quod consulit.
 4 Licet videre, ceteros quo iudices,
 5 medicos vel ipsos temperantiam auream
 6 iis qui laborant optimis sermonibus
 7 laudare cunctos. Sed valetudo ut mala
 8 subrepsit, omnes videris torquerier,
 9 dum cuncta peccant quae veterant ceteris.
- C_48 v.1 Musicus Androtion citharam tractare suetus
 2 audiit haec miris dissoluenda modis.
 3 Cum dextra ferio chordam quae summa vocatur,
 4 responsat trepidans ima sinistra sono
 5 substridens tacitum. Patiturque adfecta suprema
 6 consensu proprium ceu simul icta sonum.
 7 Quo fit uti mirer quo pacto sensibus orbi
 8 natura nervi convenient adeo.
 9 Androtion contra, veluti admiranda professus,
 10 magnos artifices id latuisse ferens.
 11 "Haec (ait) est ratio. Chordae quas cernitis omnes
 12 siccis visceribus conficiuntur ovis.
 13 Quae quia fraterno sociantur foedere juncta,
 14 est data cognatis consona vox fidibus.
 15 Legitimaeque fides omnes credantur eadem
 16 alvo prognatae, participesque soni
 17 ejusdem velut haeredes. Si forte laborat
 18 sic oculus dexter, laevus item adficitur."
 19 O doctum artificem naturae noscere causas
 20 cui datur obscurae ! Macte novum ingenium !

- C_49 v.1 Gassote Juli, quem fides et veritas
 2 cordisque purus candor integerrimi,
 3 magnis bonisque reddidit gratum viris,
 4 ne tu libelli paginas nostri leves
 5 hujusce versa, quin tuum nomen legas
 6 carmenque quo nos noscet aetas postera
 7 vixisse amicos moribus suavissimis,
 8 virtutis arto vinculo junctissimos,
 9 quod nulla vitae rumpat aut solvat dies.
- C_50 v.1 Vulnus amoris id est. Manat de vulnere sanguis
 2 lacrima quam non ars sisteret ulla potens.
 3 Quid faciam ? Non me sanaverit ipse Machaon
 4 unguine quod miti leverit ille manu.
 5 Telephus ipse ego sum. Tu sis mihi lenis Achilles.
 6 Vulnere forma dedit, vulnere forma levet.
- C_51 v.1 Sic ne hedera adrepens sinuoso dum pede saltas
 2 hos Bromii ramos opprimis uviferos ?
 3 Non tu nos vincis, te perdis. Nostra quod omnes
 4 ante coronati vina bibent hedera.
- C_52 v.1 Vespere nos homines potavimus. At male mane
 2 jejuni in nosmet surgimus usque ferae.
- C_53 v.1 Sunt quattuor Cupidines :
 2 unus coronam Cypridos
 3 adaptat aureis comis ;
 4 alter labella porrigens
 5 rumam parentis uberum,
 6 fontem liquoris lactei
 7 exsugit ; at duo ad pedes
 8 imos tenelli lusitant.
 9 Sed vestis adlambens femur
 10 eburnea inter inguina
 11 alvi tegit partem infimam.
 12 Quod ni foret, Venus staret
 13 nudata membris omnibus.
- C_54 v.1 Ut vidit aurea udis
 2 Venus tumens ocellis
 3 jam morte functum Adonin,
 4 et horridum capillo,

5 genisque decolorem,
6 jubet leves amores
7 coram statimque ductum
8 aprum ferum scelestum
9 sistant Adonicidam.
10 Illi indidem volantes
11 cursim nemus per omne
12 aprum vident dolentem.
13 Mox vinciunt ruentes
14 feram revinciuntque.
15 Hic adligans capistro
16 captivum eum trahebat ;
17 agens at ille clunes
18 arcu velut flagello
19 urgente verberabat.
20 Aper sed ipse tractus
21 aegre tremens, timoris
22 plenus, pedem ferebat,
23 ut qui deam paveret
24 Cupidinum parentem.
25 Ut visus est ad illum
26 sic est Venus locuta :
27 "O pessima omnium tu
28 crudelium ferarum,
29 hoc tu ne tangere ausa
30 femur, meum maritum
31 tu tune vulnerasti ?"
32 At flens ad haec fera inquit :
33 "O Diva Diva juro,
34 tibi que temet ipsam
35 et hunc tuum maritum,
36 et haec mea ipsa vincla,
37 et hos tuos Amores
38 queis praeda opima cessi,
39 carum tuum maritum
40 mens non suit ferire.
41 Verum stupenda forma,
42 nudum ut femur ferebat,
43 aestuque non ferendo
44 me adegit et furore,
45 ut illud oscularer.
46 Ego aestuans furensque
47 ardentiusque pressi
48 illudque vulneravi.
49 Hos sed Venus prehende.
50 Poenam luant : secantor.
51 Cur nam feram molestos
52 dentes, amoris ignem
53 ferocius ferentes,
54 inutiles, cruentos ?
55 Sin his minus satisfit
56 tibi, ecce nostra labra.
57 Haec tu prehende labra,
58 poenam luant : secantur."
59 Aprum Venus miserta
60 jussit leves Amores

61 laxare vincla dura,
62 reumque liberari.

C_55 v.1 Falcete docte, carminum o tu candide
2 iudex meorum, versibus quae barbaris
3 (quos syllabarum similiter cadentium
4 certos ad ictus crassus includit sonus)
5 scripsi poetas unus inter nobiles
6 pinguique doctos saeculo, non infimus,
7 quos lingua nostra Gallica et terra edidit.
8 Idem meorum carminum o tu candide
9 Falcete iudex, quae modis Graecanicis
10 scripsi et Latinis, saeculo quos aureo
11 docti solebant musicique pangere,
12 virique clari nobilesque feminae.
13 Quorum relictis primus in vestigiis
14 insistere ausus, verba clausi Gallica,
15 brevesque longasque aure callens syllabas,
16 simplex duplexque tempus aptans ordine
17 certo, quod esset arte junctum musica.
18 Falcete, apud te nunc queror quod gratia
19 non ulla digna pro meis laboribus
20 vivo videntique aut habetur aut datur.
21 Nec nominatim principes tangam viros,
22 quibus fere mos et alienis auribus
23 est iudicare, est et aliena mos manu
24 remunerare, gratiis ingratiis.
25 Sed hoc malignum flens et accusans simul
26 aevum, relictis Gallicis jam transfuga
27 ad has Latinas me Camenas conferam
28 dedamque posthac ; nec laboriosius
29 opus minabor ferre quod vires negent.
30 Sed ceu liquoris dulcis artifex Apis,
31 labore tenui flosculos libans, legam
32 Musaea mella, haud tenuis unde gloria
33 forsitan resultet ; hoc vel uno maxime
34 contentus ipso, si palam sic fecero
35 qua se Latina lingua nota porrigit
36 (qui puritatem doctus externam sequi,
37 post totque tantosque ausus ultimum viros
38 aut folia silvis aut aquam mari addere,
39 tamen pararim nomen inclytum mihi)
40 me praestitisse plura lingua patria,
41 quamvis nec aequet laus opus, nec praemium.

C_56 v.1 Tantalus haud quidquam comedebat ; quippe volantes
2 pendula per ramos poma petebat hians,
3 sed frustra : levioere tamen jejunos anhelat
4 ille siti. Quod si dulcia poma etiam
5 esset vel ficus, quam tantam corpore functis
6 arbore carpta queant munera ferre sitim ?
7 Ast adcumbentes gustavimus omnia falsa,

8 pernas, cordillas, cetera idemque genus ;
 9 et super haec solam miseri potamus amystin.
 10 Tantale, nos passi te graviora sumus.

C_57 v.1 Terrestrem fera dum marina vivens,
 2 hominem exanimum, salo madentem,
 3 gesto vertice, litorique reddo,
 4 sicca litoreis inhaesi arenis.
 5 Et quod aequoreo procul profundo
 6 in terram nimium ausa pronatarim,
 7 advecti est oneris soluta merces,
 8 undis ut morererque destituta,
 9 mutataque vice illius perirem.
 10 Tellus me ut sua perderet marinam,
 11 illum ut terrigenam mea unda perdit.

C_58 v.1 Icare (decipiat ne te ars) aes esse memento ;
 2 neu fallat te humeris adposita ala duplex.
 3 In mare delapsus cum sis vivensque vidensque,
 4 aere modo speras posse volare gravis ?

C_59 v.1 Deposuerunt virum, neque sunt quod femina, facti.
 2 Esse viri nequeunt, cum sint muliebria passi.
 3 Sed neque femina funt, quia nati sorte virorum.
 4 Femina nunc marem habet, maribus qui femina prostat.

C_60 v.1 Quam juvat in tarda puerum sibi habere senecta ?
 2 Et patris et matris fit decus ille puer.
 3 Clarior et nato cum sit pater, et patre natus,
 4 ornamenta sibi mutua uterque dabunt.

C_61 v.1 Lucrosas aedes alio vos quaerite fures.
 2 Servat paupertas hanc vigil usque domum.

C_62 v.1 Cum discedere restito coactus,
 2 ut te sorte mala mea relinquam,
 3 vix verbum vale vix queo profari.
 4 Et longum tacitus mororque lentus.
 5 Namque absentia nostra nox videtur :
 6 non nox haec veniens cadente sole,
 7 sed nox illa Acherontis atra diri,
 8 ubi perpetuae malae tenebrae.
 9 Has absentia quas trahit tenebras
 10 perinde horreo nec minus tremisco.

11 Et lucem tua lux diei adaequat,
 12 vel lucem tua lux fugat diei,
 13 multo clara magis magisque grata ;
 14 nam lux muta erit istius diei,
 15 at non lux tua quae simul loquelam
 16 blandis deliciis feret scatentem.
 17 Sirenum mihi cantus haec loquela !
 18 Hac omnes animi levesque curae
 19 et spes undique pendulae trahuntur.

C_63 v.1 O bone dormiscis, verum haec tibi pocula clamant.
 2 Surge, neque oblectes te studio misero.
 3 Tu ne parce, sed in largum Diodore Lyaeum
 4 lapsus genua tenus lubrica, vina liques.
 5 Tempus erit quo non potabimus. Ergo age, perge :
 6 jam canent alba tempora nostra nive.

C_64 v.1 Nolim velim est amandum.
 2 Amare amor jubebat ;
 3 at non ego audiebam,
 4 vecorsque menteque aeger.
 5 Mox ille prendit arcum
 6 et aureas sagittas.
 7 Pugnaeque provocavit
 8 me, quique pectus armis
 9 texi, velutque Achilles
 10 peltam gerensque gesa,
 11 pugnam manebam amoris.
 12 Ille icit : exiebam.
 13 Defecerant sagittae.
 14 Furebat, ut sagittam
 15 sese ille jecit in me.
 16 In cor meumque adactus
 17 subiitque meque fregit.
 18 Prosunt nec arma quicquam,
 19 inutilesque pelta est,
 20 et gesa nil juvabunt.
 21 Nam quid foris parandum,
 22 intus calente pugna ?

C_65 v.1 Si tales Capaneus animos ad moenia Thebes,
 2 admotis scalis dum furit adsiliens,
 3 spirasset, capta vixisset is urbe potitus.
 4 Parsissent tali fulmina lenta viro.

C_66 v.1 Justus Aristocrates cum tristem Acheronta petebat,
 2 admota fronti deficiente manu :
 3 "Curate et sobolem et connubia jungite, dixit,

4 vel si paupertas vos malesuada premit.
 5 Fulcite et vitam. Mala res male fulta columnis
 6 est domus. Illa bona est quae bene fulta suis
 7 stat dominis ; in qua lucet focus igne perenni,
 8 quo pariter rident et domus et dominus."
 9 Scivit Aristocrates quod verum erat. Oderat, hospes,
 10 ille tamen mores femineosque dolos.

C_67 v.1 Me marmor fecere dei, quae vivere sueram :
 2 me reddit vitae ex marmore Praxiteles.

C_68 v.1 Lysippe, o sculptor Sicyonie , quam manus audax
 2 est tua, quae ignitos exprimit aere oculos,
 3 quod tu in Alexandri effigiem fundisque polisque,
 4 dans justam Persis inde fugae veniam.
 5 Quis velit hos culpare ? Boves fugere leonem,
 6 talem cum facias osque animosque virum.
 7 Quique Jovem adspiciens clamare videtur anhelum
 8 Terra mea est, caelum Juppiter ipse tene.

ODE.

C_69 v.1 Tu meis mi carior o medullis,
 2 desinas cantus. Tuus iste cantus
 3 mi meam furans animam, o Melanthy,
 4 surgit ab aure.
 5 Occulle hanc frontem, hos oculos, genasque,
 6 occulle et labra. Haec facies tuendo
 7 me liquat totum : ex oculisque vitam
 8 haurit amore.
 9 Conde collum, conde sinum et papillas.
 10 Nam tuas dum suavior has papillas,
 11 hae mihi efflatam potuere ab ore a-
 12 -vertere mentem.
 13 Ne manum ostende o roseam Melanthy.
 14 Haec potest altum reserare pectus ;
 15 haec manus me de medio meum cor
 16 tollit inulto.
 17 Detege at tu jam horum aliquid, Melanthy ;
 18 aufugit labenti animus mihi aeger,
 19 aufugit. Nam tu mihi cum tegaris,
 20 cuncta teguntur.
 21 Sed mihi primum retegi quid optem ?
 22 Heu ! Quid in tota mihi te esse dicam
 23 quo semel viso mihi non necesse
 24 exanimari ?
 25 Obsecro paulum mihi da, Melanthy,
 26 hoc revelato pede recreare
 27 lacrimis lassos oculos. Quid opto ?
 28 An mihi mortem ?
 29 Ante paulo pes tuus iste, gressu

30 me suo molli teneroque raptum,
 31 (nec tamen quicquam pedis eminebat)
 32 me mihi tollit.
 33 Veste quod si pes tuus iste ab ima
 34 tantulum exsertus, digitum videndum
 35 forte nobis vel minimum dedisset
 36 parte vel una,
 37 percitus caldo novi amoris aestu
 38 advolassemque atque animam dedissem,
 39 ad pedes fusus, digitoque viso
 40 totus inhaerens.
 41 Verum age illos, o mea vita, cantus
 42 incipe. Istam jam mihi prome frontem.
 43 Jam mihi ostende hos oculos genasve et
 44 mollia labra.
 45 Candidum collum retege, et papillas
 46 flore turgentes. Rapiant papillae
 47 suavio mentem. Manibus vel ambis
 48 utere per me.
 49 Namque si mors est mihi certa amanti,
 50 intuens in te, o mea vita, quaero
 51 jam mori, (quod percipio esse vita
 52 mitius ipsa.)
 53 Nec feram desiderio me amatae
 54 tabidum formae misere liquari :
 55 quo traham aetatem, decuploque cogar
 56 perdere vitam.

C_70 v.1 Planta sui sterilis calamus, nec codice nostro
 2 ficus, nec pomum, lecta nec uva fuit.
 3 Sed me sacrarunt Mysis. Tenuisque labelli
 4 protensum stricto dissecuere tubo.
 5 Post atro potum temeto (ceum numine plenum)
 6 omne ore illingui fundere carmen agunt.

SARDANAPALI.

C_71 v.1 Qui te mortalem noris, convivia cura,
 2 tu bene fac animo. Nullus post funera fructus.
 3 Sum cinis, olim ego rex urbis quae maxima Nini.
 4 Sunt mea quae luxus, quaeque esus, quaeque cupido
 5 fecerunt volup. At multa illa beata reliqui.
 6 Docta homini haec maneant vitae praecepta beatae.

C_72 v.1 Nunc ego nil aliud nisi dixi, bella Melanthis,
 2 omnibus haec passim protinus adspicitur.
 3 Os canibus monstras, mea Mens. Quod post male te angat
 4 indicium. Num sic perdidimus Rhodopen ?

- C_73 v.1 Vir natum Jovis hic Leonicidam,
 2 dextrae viribus Herculem potentem,
 3 scriptorum veterum omnium ipse primus,
 4 Pisander celebravit e Camiro,
 5 quotquot pertulit explicans labores.
 6 Hunc ipsum populus (neque id tacendum)
 7 ex aere hic voluit deditque poni,
 8 multis mensibus inde post, et annis.
- C_74 v.1 Respuo quem teneo mutando semper amore,
 2 excipioque alios post aliosque sinu.
 3 Qui me amat hunc fugio ; qui non amat hunc ego capto,
 4 si me amet ut fugiam mox, aliumque petam.
 5 Divitias Veneris sector. Mea qui improbat acta,
 6 pauper in adstricto conjugio maneat.
- C_75 v.1 Cur me Pastores praedam loca sola colentem
 2 rore novo madidis traxtis ab arboribus ;
 3 me gratam nymphis, arguta voce cicadam,
 4 aestu cui medio monsque nemusque sonant ?
 5 En turdusque vorax merulaeque. Ecce volantum
 6 omne genus ruris quod male perdit opes.
 7 Praedite quae fructus laedunt : has perdit. Nobis
 8 quae frondis rorisque invidia est teneri ?
- C_76 v.1 Patrimae Colus o Palladis haud munus inutile,
 2 quam Matres animis accipiunt rem facientibus
 3 domi ; nos sequere audacter in urbem bene nobilem
 4 Nili ; qua Veneris sub calamis est viridantibus
 5 aedes, unde secunda a Jove nos flamina poscimus,
 6 ut visum simul oblectem, et amici officio petam
 7 Niciam Charitum suaviloquentum decus unicum.
 8 Ut te (quam artificis perpoliit multus eburneam
 9 labora) in manibus Nicieae munere conjugis
 10 Demus, cui facies multum operis, quale viros tegit,
 11 et quod femineis conveniat textile vestibus.
 12 Bis matres ovium in graminibus mollia vellera
 13 ponant annua, quod Theugenidis vota petant bonae.
 14 Sic est illa operatrix, et amat quicquid amant bonae.
 15 Nam nos dedere in aedes ubi marceret inertia
 16 ipsi nolimus te, patrium quam tulerat solum
 17 nostrum. Patria namque est tua quam condidit Archias,
 18 urbs quae Trinacriae clara viris flos viget insulae.
 19 Nunc aedes habitas docta viri plurima qui sciens
 20 aegrotos homines sic ope morbis medica levat.
 21 Ergo in Ionia nunc cole Mileton amabilem,
 22 ut sit clara colo Theugenis usque in popularibus,
 23 ut qui te videat dicat et hoc. Gratia non levis
 24 parvum munus obit. Nomen amici pretium facit.

- C_77 v.1 Conciderat conserta domus de culmine tota,
 2 sed cadit infanti vel Zephyro levior.
 3 Aetati tenerae commota ruina pepercit.
 4 O matres, partus saxa vel ipsa movet.
- C_78 v.1 Echo saxicolam cerne, hospes, Panis amicam,
 2 imum quae vocis scit referire sonum.
 3 Ipsa loquax omnis manet hic sermonis imago ;
 4 muta tamen taceat si tacuisse juvet,
 5 pastorum lusus : qua respondere parata,
 6 verba eadem quae tu dixeris audieris.
- C_79 v.1 Recens parentis prodeuntem de sinu,
 2 spumaque Venerem perfluentem adhuc nova
 3 nobis Apelles doctus expressum dedit :
 4 formam, elegantem, vividam, non languidam,
 5 sciensve fictam, spiritu sed praeditam.
 6 Belle o capillos perprimunt summae manus !
 7 Belle o sereni fulgidis ocellulis
 8 micant amores ! Floris o praenuntiae
 9 belle tumentes mammulae sororiant ?
 10 Jovisque conjux et Minerva, o Juppiter
 11 (dicent) caremus jure pomi praemio :
 12 excisa nullo jure Troja concidit.
- C_80 v.1 Et vacca haec curvo sulcos proscindit aratro,
 2 adpungente femur cuspide dum premitur ;
 3 et juga post longi rursum sublata laboris,
 4 ubera dat vitulae, cura secunda gravis.
 5 Ne nimium vexa : Matri si parcis arator,
 6 post vitula haec crescet vacca torosa jugo.
- C_81 v.1 Aer ille ubi nunc sereniore
 2 luce ridet, eo volans meum cor
 3 eo perge. Ibi nostra nunc Melanthis.
 4 Cui curae fuimusque viximusque,
 5 ut nostra unica cura erat Melanthis ;
 6 nec solum fuerit, sed est eritque
 7 semper unica nostra cara cura,
 8 quamvis non satias eam dolorum
 9 nostrorum capiat trucem ferocem,
 10 non si lumina nostra jam videret
 11 in fontes fluviosque lacrimarum
 12 et stagna et maria ire tota fusa.
 13 Eo nec minus ibis, o meum cor,
 14 nam soli mihi perplacet manere.

15 Tenta si quis adhuc locus levandis
 16 flammis aptus erit doloribusque ;
 17 qui crescunt, uti nos perimus, una.
 18 O tu qui immemor es tui, miselle,
 19 qui cor alloqueris tuum perinde
 20 ac si nunc maneat foretque tecum.
 21 Tune oblitus es, o miser, quem inanes
 22 juvat volvere cogitationes,
 23 cum desiderium tuum atque summum
 24 fata linqere te molesta cogunt,
 25 tune oblitus es ut fugax tuum cor
 26 in Melanthidos haeseritque ocellis
 27 et post in tenerum sinum relabens
 28 inter lacteolas jacet papillas ?
 29 Unde non retrahant amantiorum
 30 mille blanditiae puellularum
 31 non si aequare deas lepore possent :
 32 nedum tu revoces. Age ergo vivas
 33 posthac tu (quod amaveris) vel excors.
 34 Et mirabile quod sit, hoc probato :
 35 quod vivi sine corde sunt amantes.

C_82 v.1 Pauperiemque pati, assuetus, vitaeque labores,
 2 agricola, es felix dum tua rura colis.
 3 Unde aleris cena vili, placidumque quiescis
 4 per dumos, largae flumine potus aquae.
 5 Sic tamen es validus, victuque levi bene fartus
 6 alvo te facili cum lubet exoneras.
 7 Nec tibi opus dorsum terere aut genua ferire.
 8 Aut femur hic ubi tu sponte remittis onus.
 9 Quam dives miser est, et qui cum divite vivit,
 10 quos luxus, non (qui sit satis) usus alit.

C_83 v.1 Non ullo Rhodope morbo materque Boisca,
 2 ense nec hostili concidimus miserae,
 3 sed patriam cum Marte furens jam flamma Corinthon
 4 vastaret, mortem fortiter oppetimus.
 5 Nam mater primum jugulat me vindice ferro ;
 6 nec timide vita se abstinet ipsa sua,
 7 cervicem sed fune premit. Nobisque petita est
 8 mors potior duro libera servitio.

C_84 v.1 Forgete amicorum unice meorum omnium,
 2 qui me duobus perditum morbis male,
 3 numario uno, et ulcerario altero,
 4 uno levasti liberastique altero ;
 5 perferre qualem dum recusat Atticus,
 6 (numarium non quo fuit beatior,
 7 sed dico taetrum hunc ulcerarium meum)
 8 Romanus ille se mala fame enecat.

- 9 Sed hoc levasti liberastique altero.
 10 Namque unde numi fugerint, fugit salus ;
 11 et quod redibunt numi, eo salus redit.
 12 Ergo salutis consulebas tum meae
 13 cum providebas tu rei nummariae,
 14 qui Regis impleas liberalem gratiam
 15 tunc cum effluebat gratiis ingratiis,
 16 nobis nisi haec tua adfuisset gratia.
 17 Pro qua exaratas has habeto gratias,
 18 quibus perennis gratia haec vivet tua.
- C_85 v.1 Sopore sacro Lazarus Baifius
 2 dormit. Mori ne dixeris bonos viros :
 3 vixit, quiescit. Vivus est, non mortuus.
- C_86 v.1 Carpere num licet, o Cyllenie ? Parce, viator.
 2 Carpere num caules invidia ? Haud equidem est
 3 invidia haec, sed lex alienis parcere rebus.
 4 Res nova te furem furta vetare deum.
- C_87 v.1 Calligenes ubi mandavit sua semina sulcis
 2 rusticus, astrologum consulit Hippotadem.
 3 Inquirique rogans sibi num sit fausta futura
 4 aestas, num farris copia proveniet.
 5 Ille super sumpta tabula, numeransque lapillos
 6 et digitos curvans, Calligenem alloquitur :
 7 "Quantum sufficiet pluvio si rore madescat
 8 tellus, nec segetes opprimat herba nocens ;
 9 sed neque radices glacies urat, neque grando
 10 verberet ut spicas decutiat segeti ;
 11 nec pecus immissum pascat sata ; si neque caelo
 12 ulla, neque e terra noxa superveniat,
 13 vaticinor faustam tibi messem, quamque secabis.
 14 Vive. Locusta tamen sola cavenda tibi est."
- C_88 v.1 Pascenti pecori sacrum Pan praecine carmen
 2 curva per auratos labra terens calamos.
 3 Quo distenta domum referentes ubera matres,
 4 lacte suo faciant fervere vasa novo.
 5 At tibi villosus fusus de gutture sanguis
 6 ibit, victima cum vir gregis ipse cadet.
- C_89 v.1 Scis de versiculis meis apud te
 2 sermonem varium fuisse, Pibrax,
 3 dum fert iudicium palam professus
 4 unusquisque suum ; nec improbatat

5 ullus carmina quae Latina pango :
 6 quod mirum mihi maxime videtur,
 7 qui veni tyro ad haec et imparatus.
 8 Nos ridetis ohe optimi virorum ?
 9 An sic ex animoque serioque
 10 quae nos scripsimus illa comprobastis
 11 confidentius esse publicanda ?
 12 Tu laudator et auctor atque jussor,
 13 tu iudex fueris, diserte Pibrax,
 14 haec cui credulus edidi terenda.
 15 Nec me paeniteat pudenter ausi,
 16 dum tu sis quoque pervicax patronus.

C_90 v.1 De pensione, Lansace o vir optime,
 2 cum libere jocor nimis,
 3 sed mente pura, corculo sed candido,
 4 ut qui colebam te unice,
 5 meis (repulsa lentitudinis tuae)
 6 irasceris tu litteris.
 7 Verum tuarum desine irarum, sapis
 8 et pensione fac fruar,
 9 quadrima quae jam currit, annuam mihi
 10 Regina quam jussit dari.
 11 Ni feceris, mox, id nec insulsi viri
 12 dicent, palamque proferent ;
 13 odisse quam donare constat vilis :
 14 repulsa, non ira haec fuit.

C_91 v.1 Antiqui fuerat bonique moris,
 2 ut (qui vel celebrare singulorum
 3 laudes sumpserat, unius vel urbis)
 4 vatem praemiolo suo bearent :
 5 nostris temporibus quod exolevit.
 6 Nam laudanda simul jacent relictas,
 7 laudari pariter putant ineptum.
 8 Hoc est cur minimi pretii poetae,
 9 cassi munere, Cantarelle, cantant.
 10 Hoc est cur miser indigens inopsque
 11 quadrima male pensione fraudor.
 12 At vobis bene sit bonis, ut estis.

C_92 v.1 Naufragus hic situs est. Tumulo tu solve rudentes
 2 intrepidus. Servet sors alios. Perii.

C_93 v.1 Non mihi si ridens Neptunus straverit undas,
 2 non mihi si crispum verna det aura mare,
 3 vectorem me umquam navi dabo. Dura pericla
 4 quae tetuli, repetens horreo. Nec repetam.

- C_94 v.1 Ne mea praeteriens culpes monumenta, viator :
 2 nil dignum luctu mortuus hic habeo.
 3 Natorum liqui natos, expertus in una
 4 conjugium, natis quod tribus ipse dedi.
 5 Quorum saepe meis proles mihi risit in ulnis.
 6 Nec morbo neque morte ullius ingemui.
 7 Me post inferiasque datas mollemque quietem,
 8 misere aeternum quo pia turba volat.
- C_95 v.1 Tu cui per ipsam Roma quaeritur Romam,
 2 et cui per ipsam Roma nulla jam Romam
 3 apparet, hospes : cerne saxa murorum
 4 exesa, vasto culmine obrutas moles,
 5 theatra, circos, ambulationesque
 6 thermasque et arcus pensiles triumphales,
 7 bellique jure temporisque destructa
 8 haec omnia : haec sunt Roma, in his jacet Roma.
 9 Videsne ut immane urbis hoc ruinosum
 10 adhuc cadaver imperii minas spirat ?
 11 Devicit orbem seque postea vicit,
 12 ne quidquam in orbe non sibi foret victum.
 13 Victamque Romam nunc se habet suum victae
 14 tandem sepulcrum Roma, quae stetit victrix.
- C_96 v.1 Therin decrepitum quem viminei labyrinthi
 2 pascebant, nando dum superat fulicas,
 3 irretitorem, cui piscis praeda erat omnis ;
 4 urinatorem, qui bene remigium
 5 callebat, sed non multo quod remige fertur ;
 6 Non arcturus, non atra procella senem
 7 perdidit annosum. Sed obiit sub paupere tecto,
 8 utque lucerna cadit, tempore sponte sua
 9 extinctum, nec eum nati luxere nec uxor,
 10 sed piscatorum contumulat thiasus.
- C_97 v.1 Cum nox peracta est, in dies nos nascimur
 2 vitae prioris nil habentes amplius.
 3 Cum nostra non sit lucis hesternae actio,
 4 sed ordiamur vitam ab hodierna die
 5 quae post agetur. Te cave ergo dixeris
 6 senem quod annos vixeris multos prius.
 7 Anni priores hoc die non sunt tui.
 8 Aegre senescens tempus omnibus perit ;
 9 voces loquentum surripit mortalium ;
 10 numquamque visum quae videntur occulit,
 11 numquamque visa post videnda protulit.
 12 O finibus certis parum, mortalium

13 vitam fluentem ! Qui occidunt fere in dies.
 14 Haeredem, eum qui spirat hic, ne nomines :
 15 dicatur haeres ille qui vitam fugit.
 16 Nam certus haeres mortuus lucrum facit
 17 quidquid laborum perdit in viventibus.
 18 Liquere vivam patriam ante mortui :
 19 nos efferemus patriam qui vivimus.

C_98 v.1 Ipse olim Danaen compressit Juppiter auro ;
 2 auro ego te. Summo quis Jove plus poterit ?

C_99 v.1 Pressos Andegavis minister uvis
 2 misce mi calices meraciores,
 3 ut tristes animi fugare curas
 4 queam munere liberi Lyaei.
 5 Bacchus sollicitudines edaces,
 6 curas nectare mergere efficaci,
 7 procul dissipat excutitque corde.
 8 Cedunt tristitiae metusque diri,
 9 et quicquid miseris laboriosum
 10 poenis excruciat genus virorum.
 11 Ut cessere procul feri dolores,
 12 succedunt pariter jocique risusque
 13 et blandae Veneres, amorque blandus,
 14 dulces deliciae facetiaeque,
 15 et quantum fuit aut erit leporum,
 16 quod mentes meminisse curiosas
 17 dirarum vetat aegrimoniarum.
 18 Salve, Bacche pater. Tuo furore
 19 mihi pectora plena jam tumescunt,
 20 Afflor numine jam tuo Poeta.
 21 Circum tempora laeta jam mihi jam
 22 jam serpunt hederæ tuæ sequaces.
 23 Cinctus tempora pampino virenti
 24 te muscosa per antra, perque montes,
 25 te te per nemorum sequor recessus
 26 Bacchis annumerandus, o Thyoneu.
 27 Thyrsos armata manus mihi virescit.
 28 Jam lactis latices scaturientis,
 29 thyrsi cuspidem, qua furens acuta
 30 terram vulnero fluminum feracem,
 31 ebullire mihi undiquaque visi.
 32 Jam vini videor lacus perennis,
 33 fontes, flumina, rivulos videre.
 34 Jamque immergere fontibus sub ipsis
 35 naufragum caput Euii furore.
 36 Jamque haurire fluentis ore pando
 37 hinc illinc temere Euii liquorem.
 38 Anhelis modo faucibus, suavi
 39 allectus scatebrae merae sapore,
 40 quam lubens inhio siticulosus
 41 tuis fluminibus, pater Thyoneu.

42 Io Bacche pater, bimater, Euan,
 43 jam restincta sitis tuo est liquore :
 44 est vini mihi jam satis superque.
 45 Jam vis ignea roris impotentis
 46 tui, Bacche, pater, furore dulci
 47 sensus occupat undique obvolutos.
 48 O me insania dulcis, o mihi me,
 49 io me mihi me rapit lubentem.
 50 Jam mixtus Thyadum feror choreis,
 51 insanos thyasos per aviorum
 52 praesultor nemorum regens latebras.
 53 Nunc terram ferio sonante saltu,
 54 nunc et quasso hedera comas recinctas,
 55 nunc thyrsum ejaculor valente dextra
 56 campos per liquidi aeris patentes.
 57 Nunc thyrsum excipio manu supina
 58 ex campis liquidi aeris volantem.
 59 Evoe jam rabie fera citatae
 60 una cum Satyris Deae petulcis,
 61 umbras quae nemorum colunt opacas ;
 62 Evoe jam ingeminant tumultu acuto
 63 sequentes asinum procul rudentem
 64 sub altore boni bono Lyaei.
 65 Clamoremque iterat loquax imago
 66 applaudens ululatibus furentum :
 67 evoeque ingeminat bono Lyaeo.
 68 Io concutitur magis magisque
 69 mi pectus gravidum tui, Bicornis,
 70 io mystice io Giganticida
 71 io parce, pater, tuo poetae,
 72 mentem ne rabidam, Jovis propago,
 73 evan ne nimius meam laccessas.
 74 O quem mixta tonitruum potenti
 75 est enixa Jovi puella simplex
 76 Cadmeis Semele deo puella.
 77 Io mystice tempera impotentis
 78 aestus heu nimios mei furoris,
 79 ut actus facili tuus flagello,
 80 Bacchantum orgia concinam sacerdos,
 81 salve, Bacche pater, Bicornis Euan.

C_100 v.1 Vinosus Xenophon tibi vas ut ponit inane,
 2 consule, Bacche, boni : dat tibi quicquid habet.

C_101 v.1 Politta, luctu parce, siste lacrimas :
 2 videre matres mortuos multae suos.
 3 Sed talibus non moribus qui viverent !
 4 Sed non qui haberent tam pie matres suas.
 5 Quid vana luges ? Quid doles praeter modum ?
 6 Communis omnes Orcus aetates rapit.

- C_102 v.1 Nostris (testis Amor) vocem auribus Heliodorae
2 malle, quam citharae carmen Apollineae.
- C_103 v.1 Lanigerum pater o docuisses pascere ovile !
2 Rupe sub umbrosa canerem patulave sub ulmo ;
3 et duros calamis possem lenire dolores.
4 Nunc alio Musa fugiendum. Linquimus urbem,
5 quaeramus patriam. Totus prius audiat orbis.
6 Parcas perdit apes fucorum pessima pestis.
- C_104 v.1 Amicus aequae civis externusque erit.
2 Quis, unde, cujas, hospes haud quaerit bonus.
- C_105 v.1 Forma capit, captum perdit, cui gratia deficit.
2 Ut levis hamato qui vacat aere cibus.
3 Tende novos arcus, prome in me tela, Cupido :
4 nam patet in nostro jam tibi corde locus.
- C_106 v.1 Fida Hierocleidi fuit unica grataque cymba,
2 quae vitae et mortis perstitit una comes.
3 Piscantique operam navavit. Justior umquam
4 sulcavit canum nulla carina mare.
5 Quippe senem pavit, contexit lumine functum,
6 vectorem infernae trans freta vexit aquae.
- C_107 v.1 Piscator Parmis qui doctus arundine pisces
2 captabat, turdos litoreosque scaros,
3 percasque escivoras, et qui cava litora circum,
4 mersaque in aequoreo flumine saxa colunt,
5 cum sibi cultricem scopulorum is Julida praedam
6 primam cepisset, mordicus eque mari
7 sublatam vellet retinere, ea lubrica guttur
8 occupat angustum prosiliens digitis.
9 Sic Parmis prope fila cadens et arundinem et hamos,
10 efflata vita volvitur ex animis.
11 Sic fata implevit. Multorumque unica Julis
12 capta, suorum ulta est ipsa suamque necem.
- C_108 v.1 Auro, quem sibi sumpsit ipse Princeps,
2 quo cum seria amoeniora tractans
3 Musaei legeret studii lepores.
4 Tu, Bertallide, quem a manu tenendum
5 Musaeo Rex occupat sacello,

6 ora effingere quem Minerva docta,
 7 et carmen docuit sonare Musa :
 8 o vos unanimes boni sodales,
 9 hos si versiculos modo hoc modo illo
 10 cantatos numero legetis una,
 11 aegri somnia credite haec legendo,
 12 quae longus peperit gravisque morbus,
 13 quaero dum varium mali levamen.
 14 At vos o animae quibus nec ullae
 15 sunt aequae mage, candidae nec ullae,
 16 si videbitis hunc novum libellum
 17 in Regis manibus, notate nutus.
 18 Ore vos animisque tunc faventes
 19 excusate velim malum poetam,
 20 sed qui vos amat hunc malum poetam.

C_109 v.1 Formosus condigna geres : virtute decora
 2 deformis formae contege damna tuae.

C_110 v.1 Flos tuus nondum se aperit, Melanthi ;
 2 non tuam sucus niger ambit uvam :
 3 vite quae non mitis adhuc novella,
 4 turget inhaerens.
 5 Jam tamen blandi tibi nunc amores
 6 porrigunt arcus acuuntque tela.
 7 Plurima occultas alitura flammis
 8 esca paratur.
 9 Nos malo fato morituri amantes
 10 nunc recedamus : fugiamus ignem,
 11 dum gravi nervus vacuus sagitta
 12 tempora donat.
 13 Maximi verus moneo futuri
 14 augur incendi. Lacrimas, dolores,
 15 anxios planctus, vigilesque mentis
 16 auguror aestus.
 17 Osculo sensi. Mihi namque summis
 18 osculum labris leviter, Melanthi,
 19 forte libabas, mea summa labra
 20 vix bene tangens,
 21 hoc levi cum me, penitus sed acto,
 22 osculo totum male perdidisti.
 23 Osculum istud tam leve vitam ab imis
 24 unguibus haurit.

C_111 v.1 Tune hunc illepidum meum libellum,
 2 quem fuligine viscus ater uncta
 3 impressis modo candidae papyro
 4 primum junctilibus notis aravit,
 5 o Murete, tua manu revolves ?
 6 Tu sodalicii memorne nostri

7 illius veteris Lutetiani,
 8 tum cum floridior vigebat aetas,
 9 nomen excipies tui Baifi,
 10 qui, post carmina Gallicana mille,
 11 nunc serus Latias ciet Camenas ?
 12 Si non respueris novum poetam,
 13 si videbitur esse dignus ire
 14 per doctas hominum manus libellus,
 15 o vere lepidum meum libellum !
 16 Quod si Ramboliusque noster ille
 17 antistes, Senonumque praesul alter
 18 Pelva, lumen uterque Galliarum,
 19 quos ornant probitasque comitasque,
 20 per te carmina nostra lectitarint,
 21 docto Castaneo favente nobis,
 22 dum legatus abest in urbe Roma,
 23 Regis nomine qui me alit fovetque,
 24 o tunc aureolum meum libellum !

C_112 v.1 Siccine te, Ronsarde, meas impune Camenas
 2 laesisse ? Et cuivis me postposuisse poetae ?
 3 Illi etiam, ferula immitis quem dura magistri
 4 terret adhuc ? Tu me Romanum pangere carmen
 5 posse negas, bone vir ? Jamjam mihi pectus amara
 6 bile tumet, fervetque jecur, nec inultus abibo.
 7 O si me placido nascentem lumine Musa
 8 vidisti, et nitida cinxti mea tempora lauro,
 9 rupeque in Aonia puerum dignata docere es,
 10 cum mihi pollicita es facilem te ubicumque vocanti
 11 adfore, seu Latios meditarer fingere versus,
 12 sive ego Cecropio numeros contingere melle,
 13 sive novum vellem me Gallis addere honorem,
 14 adsis, o bona Diva, nec aversare vocantem ;
 15 nunc mihi tale tuo vati da condere carmen,
 16 ut mihi Ronsardus justo se iudice iniquum
 17 arguat, et qui me non assis fecerat olim,
 18 primis annumeret, merito ne fraudet honore.
 19 Ille senex qui pavit oves in vallibus Asbrae,
 20 quem vestras olim fama est vidisse choreas,
 21 esse duas cecinit lites mortalibus aegris.
 22 Una quidem fugienda nocet, caedesque cruentas
 23 sollicitat. Gravis haec inimicis taetra venena
 24 cordibus infundat penitus, tabemque medullis.
 25 Altera lis laudanda, etiam committere amicos
 26 nec damnosa potest. Haec, cum bona jurgia miscet,
 27 aemula corda rapit, nec cuiquam cedere novit.
 28 Hac tu me, Ronsarde, moves, pigroque veterano
 29 torpentes Musas opera ad majora laccessis,
 30 dum mihi tu praefers hac tempestate poetas
 31 cunctos, qui veterum vestigia nanta sequuti
 32 Romanam ad citharam sunt ausi ludere versus.
 33 Nec sum adeo invisus Musis, ut Apolline nullo
 34 carmina nostra canam, numeroque inscribere vatam
 35 me quoque non ausim, nec adest invitus Apollo.

36 Si non ferre datur primas, me forte secundis
 37 vatibus adjungam. Primas sibi Mantua, Sulmo,
 38 Umbriaque, et docti poscat Verona Catulli :
 39 me juvat (et possum) comitem me vatibus aetas
 40 addere quos tulit haec, Sincero, Flaminioque,
 41 Auratoque meo, duce quo mihi Pegasis unda
 42 pervia, et Aonii patuerunt avia montis :
 43 me Navagerio socium quae patria quondam (Ce poète est présent dans notre
 44 una eademque tulit parili donabit honore. site.)
 45 Quod si pro meritis qui nostra aetate supersunt
 46 injusto invideant animo famamque decusque
 47 me vivente mihi ; quis enim vivusque vidensque
 48 eximii ingenii tulit umquam praemia digna ?
 49 Non tibi Pieriae praesul venerande choreae,
 50 aequam dum superes laudem tua saecula dederunt
 51 Maeonide, cujus liquido de fonte perennis
 52 unda fluens vatium largis rigat haustibus ora.
 53 Tu miser, exsul, inops, contemptus, triste trahebas
 54 (proh scelus !) exilium vitae, victumque parabas
 55 mendicam ad citharam, recinis dum jurgia Atridae,
 56 erroresve Ithaci varios, laudesve Deorum.
 57 Et sperare queam tam ingrato tempore honoris
 58 parte frui meriti ? Dignamve reposcere laudem
 59 ausim, praemia cum indigni magis ampla reportent ?
 60 Prava igitur si me scribentem haec saecula temnent
 61 (quod volo) namque aliud mihi nil promittere possem,
 62 at me posteritas scriptorum candida iudex,
 63 quae non invidia meritum decus abstulit ulli
 64 Parca, neque immeritam non dignis prodiga laudem
 65 largitur, pendens aequali scripta bilance,
 66 me colet, et vivo siquid detraxerit aetas,
 67 fenore mox duplici reddet, clarisque poetis
 68 inseret : haec viridi jam jam donare corona
 69 me parat, inque meum laurus jam crescit honorem.
 70 Nunc dum fata ferent mihique et mea carmina Musis
 71 ipse canam leni miseram sic pectine solans
 72 pauperiem, quae me gravis urget, et improba numquam
 73 linoquit, et usque comes premit, invitumque fatigat.
 74 O qui me Alcides opifer miseratus iniquo
 75 liberet hoc monstro, quod me noctesque diesque
 76 angit, et insomnes exercet pectore curas.
 77 Illi ego Pieridum deducam Helicone choreas ;
 78 illi ego sive hederæ cingent, seu laurea frontem,
 79 per varias hominum gentes, variasque per urbes
 80 vocalem ad citharam feriam nova carmina plectro,
 81 longamque adgrediar chartis intexere famam.
 82 Mens est magnum aliquod moliri opus ; at mea virtus
 83 cum se tollere humo, tentatque ad sidera ferre,
 84 paupertatis onus grave obest, nisusque moratur.
 85 Ac veluti impavidus Falco, quem sedulus auceps
 86 vel temere ad saxum, vel truncum ex arbore caesum,
 87 solis ad aprici radios religavit in horto,
 88 siquam per medium trepidantem forte columbam
 89 aera conspexit, terram mox linquere suadet
 90 huic generosa fames, liquidasque evadere in auras,
 91 et praedam impeteret, sed frustra remigat alis,

92 vincla obstant, reprimitque ausus grave pondere saxum.
 93 Sic mea dum properat se incassum extollere virtus,
 94 languida paupertas animos demittit inertes.
 95 Magna quidem laus est, quae tu deponere frustra
 96 tentares, ea posse pati. Quod fata vetarunt,
 97 lexque Jovis fugere, id levius patientia reddet.
 98 Sed tamen audendum est aliquid, quo me quoque possim
 99 tollere et ignotis populis notescere fama.
 100 Hactenus ingratae Gallorum carmina genti
 101 et cecini et cecinisse piget, quae forte legentur
 102 qua Franci porrecta patent confinia regni.
 103 Nunc juvat et flavum Rheni transcendere flumen,
 104 transque Pyrenaei montis juga, transque nivosas
 105 Alpes ferre pedem, Dacorum potus ad oras,
 106 Germanis, pariterque Italis et clarus Iberis,
 107 qui mea scripta canent, seu Graio pectine ludam,
 108 seu Latio. Juvat Aoniis invisere silvas.
 109 Daphnaeaeque novum capiti decus addere frondis.
 110 Musa, fave, nec dicta prius mihi carmina dicta,
 111 queis me charta vetus vixisse fatebitur olim.
 112 Dic mihi tu ; ipse aliis, si fas est dicere, dicam.

C_113 v.1 O Tiarte, semper ivi recta qua duxit via
 2 integer vitae, nec ullum mente post struam scelus.
 3 Patriam nostrisque Reges gratiis ornavero.
 4 Odero captare vulgus, nec scelestos juvero.
 5 Hinnulum cervae fugacem viribus fretus pedum
 6 unguibus raptum ferebam, nec bibebant sanguinem.
 7 Primus aggerem occupavi, praeda cessit alteri.
 8 Ipse equos junxi, nec ipse vector in curru steti.
 9 Re peracta nil peregi, cuncta necquidquam movens.
 10 Cum labores pertulissem, fructuum carpsi nihil.
 11 Qui malos vult demereri, duplici offendit malo :
 12 rem suam perdit, nec ulla post habetur gratia.
 13 Si benigne gratus in quem contuli ullam gratiam,
 14 immemor quisquis manebit, post opem imploret meam.
 15 Quamdiu bibi fluentem fonte lympham limpido,
 16 is liquor gratissimus tunc mique erat suavissimus.
 17 Turbidus nunc ille rivus ; undaque undam polluit
 18 influens externa puram. Nunc aquam novam peto
 19 fontis aut salubrioris aut perennis fluminis.
 20 Tu cave laudaris ullum ni prius probaveris
 21 mente qua sit, qua fide sit , et quibus sit moribus.
 22 Plurimi qui pectus intro subdolum gestant, tegunt,
 23 praeferentes candidorum pellem amicorum foris.
 24 Abditas cujusque tempus arguit fallacias.
 25 Falsus ipse judicavi perperam novissime
 26 laude dignum, cujus omnes noveram mores male.
 27 At simul detecta vidi cordis ima duplicis,
 28 navis ut, quae saxa vitat, nunc procul deflexero.

- C_114 v.1 O palpatorum pater Aurum, Nate dolorum
2 teque tenere metus, teque carere pudor.
- C_115 v.1 Miro, labores docte lenire asperos,
2 dilecte Phoebo, languor iste me ulceris,
3 quem nuper aeger mense plus uno tuli,
4 admonuit esse tamdiu nos optimos
5 sanissimosque quamdiu infirmi sumus.
6 Infirmus ane vel libidine angitur
7 vel mente avara ? Non amoribus miser
8 servit pudendis, non honores adpetit.
9 Omnemque luxum negligit, opes abjicit,
10 ut quod relinquet, quantulumcumque est satis.
11 Tunc esse numen, seque mortalem putat.
12 Non invidabit : neminem mirabitur ;
13 non fastuosus quemquam habet despectui ;
14 non praebet aures cum maligni garriunt.
15 Imaginatur limpidorum fluminum
16 aquas perennes frigidis e fontibus.
17 Id curat unum : summa votorum ejus est,
18 si evadere a diis ut petit conceditur,
19 mollisque pinguisque ut sit inde in posterum,
20 vitam beatam destinatque innoxiam.
21 Ergo esse tales cum valent cunctos decet,
22 quales futuros usque se infirmi vovent.